

Petrus de Vinea

*Ep. V 64 (Querelam B. de...
uiduae, fidelis nostrae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 64 (Querelam B. de...
uiduae, fidelis nostrae...)*

1220-1266

Eidem, quod fiat inquisitio de clandestinis dampnis illatis cuidam uiduae.

1. Querelam B. de... uiduae, fidelis nostrae, recepimus continentem, quod quidam malefactores, ad dampna clandestina intrepide animati, ea absente et pro suis negotiis in nostra curia commorante, quamdam suam uineam cum arboribus, in... sitam, ausu temerario inciderunt. 2. Nolentes igitur, ut propter impunitatem excessuum crescat audacia delinquendi, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus contra malefactores eosdem, ad quos inueniendos omnem, quam poteris, te uolumus sollicitudinem adhibere, inquisitionem facias diligentem, per quam, si poterunt inueniri, procedas mediante iustitia contra eos. 3. Ceterum, si malefactores non poterunt inueniri, dampnum eidem mulieri illatum ab uniuersitate ipsius terrae, in cuius territorio dampnum extitit perpetratum, secundum iustitiam facias emendari: ne ob hoc iteratam querelam ulterius audiamus.